



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione**

**Eusebius <Caesariensis>**

**[Augsburg], 1522**

**VD16 E 4299**

Quod deus ineffabilis est Cap. viij

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34477**

& sic ipsum colere ac salutare oportet, aut certe ita intelligendum est, quemadmodum nonnulli praeceptorum dicebant, et pro eis accipientes, & unum supponentes, ut sit, tu solus unum es. Non enim multa deus est, ut singuli nostrum ex innumerabilibus fere compositis; sed unum est uere ens. Diuersitas enim cum differentia in ente faciat, in ortum non entis peruenit.

Quod Deus ineffabilis sit CAPVT VIII

**P**roterea cum Moses omnesque prophetarum ineffabilem rem intellectusque solum percipibilem deum esse doceant. Huiusque rei symbolum scriptum apud eos quattuor uocabulis nomen dei ferat, quod proferre non possunt. Consona his enim Plato in magna epistola dicit, Fabile inquit nullo modo est, sed ex multa inhaesione inhaerentiaque, ut ita dixerim, circa rem ipsam & uita & integritate repente, quasi ab igne accensum lumen animo innascitur, quod seipsum alit. Hoc quidem lucis exemplum multo prius ante Platonem Hebraeorum propheta protulit dicens. Signatum est super nos lumen uultus tui domine, dedisti latitudinem in corde meo. Et rursus. Et in lumine tuo uidebimus lumen.

Quod Deus unus est. CAPVT. IX.

**M**oses unum esse solummodo deum docuit. Audi enim dicit Israel. Dominus deus tuus unus est. Plato quoque in Timaeo, calum unum, & deum unum esse dicit his uerbis. Vtrum igitur recte unum calum esse dicimus, & deum unum esse dicimus, an multos innumerabilesque dicere rectius erat? Vnum inquit certe siquidem ad exemplar creatum est. Quod enim intellectiua continent animalia, duplicatum esse non potest. Qui & si secundum aliorum consuetudinem plures nonnunquam esse deos dicere uideatur, ab epistola tamen ad Dionysium, ubi deorum nomen eorum epistolarum facere principium dicit, quas negligenter, & ad gratiam aliorum non ex animi sui sententia scripserit, ab unius uero dei nomine illas incipere, quas studio suis addidit, apte patet unum deum putasse. De signo inquit epistolarum, quas cum studio mitto, & quas non recte arbitror te meminisse. Aduertendum autem est tibi diligenter, quia multi a nobis literas petunt, quos repellere non possumus. Cum ergo studio, & ex sententia scribimus animi, deus principium epistolae praebet. Cum autem non, non deus sed dii. In legibus